



VII, 24.

2.608^a



511.000.
P. 09. IV.
FRANCORVM DOMVS
VTRVM IAM
ANTE FRANCO^S EXSTRVCTA VIDEATVR

QVVM AD
AVSPICATISSIMVM NATALEM
SERENISS. PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
CHRISTINAE SOPHIAE

NVPTAE PRINCIPI SCHWARZB. COMITI
HOHNSTEINI DOMINAE ARNSTADII SONDRERSHV
SAE LEVTENBERGAE LOHRAE CLETTFN.

BERGAE CETT.
NATAE PRINCIPE IN FRISIA ORIENTALI
DOMINAE ESSENI STEDENDORFII ET
WITTMVNDI RELL.

A. D. MARTII d^o b^o CC XXXXII *2. 11. April.*
IN LYCEO FRANCOHVSANO

CONCELEBRANDVM
PERILLVSTREM GENEROSISSIMOS PRAENOBILISSIMO
MAGNIFICVM CONSVLTISSIMOS SANCTIORIS SENATVS
EXCELLENTISSIMVM DOMINVM PRAESIDEM ET ADSESSORES
VENERABILES SACERDOTES AMPLISSIMVM SENATVM OPPI
DANVM RELIQVOSQVE SCHOLAE PATRONOS
SVBMISSA INVITAT

ANQVIRIT
M. MARTINVS BORCK R.

FRANCOHVSAE
TYPIS KEILIANIS. 32

FRANCOIS EXTERNA VIDEATUR
SERENISS. PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
CHRISTIANAE SOPHIAE
HONORABILISSIMO DOMINO ARSACI SONDERSH
NAT. PRINCIPIS AC DOMINAE ORIENTALIS
IN LYCO PARSYONIANO
PUBLIUM GENE. FRANCIS. PRINCIPIS
M. MARTINVS BORK R.

TYTIS KEILIANIS



§ VIII. **VTRVM IAM ANTE FRANCO-
CORVM DOMVS EXSTRVCTA
FVISSE VIDEATVR?**

Noctuas, quod aiunt, Athenas portaret, quis-
quis aquilas Romanas Germaniae olim illatas esse, plu-
ribus iret demonstratum. Drusum enim cum exerci-
tu, traiecto Visurgis fluuio, ad Albim usque progres-
sum esse, constituto ibidem in tantae expeditionis
memoriam tropaeo; et Germanicum post ea ulterius
in Germanos penetrasse, in campo Idistauiso cum
Arminio debellaturum: nisi rerum gestarum experi-
tem fugere potest neminem; quum illius rei **DIO-
NEM CASSIVM**, a) huius uero **CORNELIVM
TACITVM**, b) testes habeamus locupletissimos.
Soli, pari pacto, quum sudum est, lumen inferret, qui
Romanos, gloriae cupidissimos, monumenta uicto-
riarum in Germania, mox magis turpiter amittenda
quam gloriose aduicta, reliquisse, ostendere conare-
tur: post ea quam **ADRIANVS STEGERVS**,
inter egregios antiquitatum scrutatores primore loco
ponendus, uias Romanorum per Germaniam militares

D

lustra-

- a) libr. LV. Hist. Rom. p. 578. B. ed. IO. LEVVENCLA-
VII Hanou. 1606. iunge SVETON. Aug. c. XXI. p. m.
142. ed. IO. GEORG. GRAEVII Trai. 1708. Tib. c.
VIII. p. 304. Claud. c. I. p. 433. seqq.
b) Annall. libr. II, c. XVI. seqq. p. m. 107. seqq.

lustraturis facem praeluxit fulgentissimam; c) castella praefidiaque Romanorum per Albim et Visurgim pariter atque per Rhenum et Mosam disposita, L. ANNAEO FLORO d) testante, quod notissima sunt, sicco pede ut transeamus. Aliquod nihilo minus operae fore pretium non desperamus, si paucis doceamus, siue potius in memoriam reuocemus Erudito L. quae dudum nouit, et in Thuringiam Romanos peruenisse quondam. Id dum facimus, iure quodam nostro, quod omnes de orbis antiqui situ scriptores uno ore fatentur et tantum non omnes stabilitum idoneis auctoribus dederunt atque fixum, e) sumimus sine disquisitione, quodque datum nobis ultro iri confidimus, Thuringiam antiquitus Cheruscos tenuisse. Cheruscos uero Saeculo a R. S. primo a Germanico caesos esse

- c) de uiii militaribus Romanorum in ueteri Germania libro singulari, supra iam laudato, sed non satis laudando. Conf. IOAN. ALEX. DOEDERLEIN antiquitates in Nordgauia Romanae, oder genauere Vorstellung des alten Roemischen Valli und Laud-Wehre, Norimb. 1731. 4. tabulis ornatae Geographicis, ubi sect. III. §. 12. seqq. p. 39. seqq. clarissimus auctor probat, uallum ibidem a Romanis conditum esse, quod hodie dicitur die Pfahlheck, siue die Teufels-Mauer.
- d) Rerum Rom. libr. III. c. XII. p. 875. ed. CAR. ANDR. DVKERI. Lugd. Bat. 1722. 8.
- e) Recentissime IO. DAV. KOEHLERVS in der neuen und mittlern Geographie, cuius Pars I. Norimb. 1730. 8. prodit, c. II. §. 8. n. 4. p. 12. conf. *ibid.* additam Europae tabulam; non Germaniae.

esse deque caesis triumphum actum, immo Romam regem petiisse, auctore TACITO f) nouimus: et Drusum eosdem recepisse, testis est C. VELLEIVS PATERCVLVS, Drusi per annos continuos nouem praefectus aut legatus, operumque eiusdem spectator et adiutor: g) quid? quod post hunc DIO scriptum reliquit, h) Germaniae a Romanis praefectum fuisse datum, C. Sentium Saturninum, eiusque in locum subrogatum Quinctilium Varum, cui ab Arminio, Cheruscorum principe clades fuit illata, atque Germania magna in libertatem uindicata feliciter. Urnas Romanas feraleis argenteis aeneisque numis munitas, in uicinia effossas aperte loqui, Romanos quondam in Thuringia aliquamdiu commoratos fuisse ILLVSTRIS GVNDLINGIUS, quo fuit ingenii acumine, recte arbitratur. i) Quod si igitur, ad probandum aliquid factum esse, satis duxeris, fidem non refragari historicam: in promptu erit, sic dictam Francorum domum a Romanis hac tempestate fuisse excitatam. Quae sententia, quo gratior Lecturis arrideat

D 2

f) l. c. libr. II. c. XVII. p. m. 108. c. XXXXI. p. 132. libr. XI. c. XVI. p. 407. Conf. CAR. SIGONII fasti consulares in primis p. m. 349. D. seq. ed. Basil. 1559. f.

g) l. c. libr. V. c. CV. n. 1. p. m. 514. seqq. ed. PETR. BVRMANNI Lugd. Bat. 1719. 8.

h) Ille libr. II. c. CXVII. seqq. p. m. 562: hic libr. LIII. p. m. 567. F. et libr. LVI. p. 582. D.

i) In der Geograph. Beschreibung des Herzogthums Magdeburg p. 200.

atque acceptior uideatur, nullo negotio colorari posset, aliunde depromptis argumentis. Tametsi enim, de monumentis Romanorum in Thuringia IO. CHRIST. LAVRENTII libello quantum ab eruditis statuatur pretium, non ignorem; k) et, quae de finitimo quopiam antiquitatis monumento, a Iulio Caesare erecto atque *Confusio* tunc, siue *Cuffize* nomine Gallico, nunc *Kyffhausen* nominato, narrantur, l) lippis nota sint atque tonforibus: nemo tamen habebit, quod iure nos reprehendat, nostra hac portae arcis Beichlingensis illustrantes inscriptione.

BEICHLINGVM

A ROMANIS CONDITVM: ARCEM
ANTIQUISS. ET VNIVS EX RE
GIIS SAXONIAE XII. VIRIS SE
DEM: HENRICI IIII. IMPERATO
RIS ARMIS ET TEMPORVM INIV
RIA

k) Vid. BVRC. GOTTH. STRVVII Vniversal-Historie I. Abtheil. §. 2. p. 3. et adscribe IO. BVGENHAGII Pomeraniam ex MS. editam a IAC. HENR. BALTHASAR Gryphifw. 1728. 4. quatenus scil. de urbibus a Iulio Caesare conditis agit: nec non eos, qui Magdeburgum *limitaneam Romanorum urbem, ein Roemisches Grentzbaus*, olim fuisse, sibi persuasum habent, a CASP. SAGITTARIO in antiquitatibus Magdeburgensibus, Ienae 1684. 4. §. 21. seq. p. 8. seq. notatos.

l) Contende Illustr. DE ROHR I. c. cap. V. §. 10. p. 258. et modo citatum SAGITTARIVM de antiquo statu Thuringiae p. 9.

RIA RVINOSAM COLLAPSAMQ.
EXTRVCTIS A FVNDAMENTO
HIS AEDIFICIIS: AD SVAM
POSTERORVMQVE QUIETEM:
ORNATIOREM REDDIDIT WOLF
GANGVS A VVERTER THEODO
RICI F. VOLENTIBVS PHILIPPO
ET ANTONIO FRATRIBVS: QUI
EAM A PATRE AVOQVE POSSES
SAM: HIS ORNAMENTIS AVGENS.
AD BENE MAIORVM PARTA TV
ENDA: STUDIO INVITARE PO
STEROS CONATVS EST. ANNO
M. D. LIII. DIE XIII. IVLII.

Teste hac inscriptione non heri aut nudius tertius po-
sita, oculis hic usurpas, L. H. monumentum a Ro-
manis in uicinia conditum, tanto illustrius, quanto
Domini atque Possessores eiusdem inde ab omni me-
moriam fuere illustriores. Nec deerit fortasse, qui hanc
sententiam abs se egregie adiuuari, immo extra omnem
controuersiae aleam poni posse, sibi persuadeat, siqui-
dem paullulum ingenio indulgere liceat atque abuti:
uidelicet *Franconum* hanc *domum*, a *Franconibus* illis
Romanorum militibus, doctis quam Delia canibus
suis, notioribus, olim dictam fuisse, quod consuetu-
do, ut in aliis sensim lapsa mutauerit, dicendo das

D 3 *Fran-*

Franchenhaus pro *das Frangenhaus*, et, obseruato litterarum G et CK in multis uocabulis eundem prorsus esse sonum, se rem omnem acu tetigisse. m) Suo cuique abundare sensu per me facile licitum esto. n) Equidem quid sentiam, ingenue ut fatear, numquam animum induxi meum, ut crederem, monumentum haecenus lustratum a Romanis fuisse conditum: nudas enim enunciationes pro ueritate uenditare est fucum uendere, aut ut mitius dicam, nubem pro lunone amplecti. Ea de causa istanc opinionem praestabo nemini, multo minus cum quoquam ferraculum ducam. Satis pro instituti ratione fuerit in praesenti demonstrasse, fidem historicam minime reclamantem habere, qui adfirmet, sic dictam Francorum domum a Romanis positam uideri: in hanc rem supra fidem interposui meam, quam nunc liberatam uolui.

§. X.

m) Acutissime. Laudat conatus Cotta, dum inquit, *in enodandis nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Ceres a ceryendo, quam periculosa consuetudo? Nullam erit nomen, quod non possis una littera explicare unde ductum sit, in quo quidem magis tu mihi natare uisus es, quam ipse Neptunus, apud CIC. de Nat. deor. libr. III. p. m. 72. ed. IO. STVRMII.*

n) Risum cordationibus dudum excussit SCHLVNTZ quidam, clariss. inter obscuros uiros, *Basilea*, inquit, dicitur a *Basilisco*. quia ibi olim fuit inuentus *Basiliscus*. Vel a *Basile*, quodam rege, qui percussit ibi unum gigantem, ita quod rogauit eum propter deum, quod uellet cessare, et tunc ille rex aedificauit ibi ciuitatem: et dicunt quod ille gigas adhuc est pictus *Basileae* in una turri ad perpetuum memoriam. Vide sis epistolas obscurorum uirorum p. m. 222. ed. Londinensis, ut in fronte legitur. Sed haec obiter.

Quartum de Francorum domo commentandi non nulla occasionem mihi praeberunt quatuor lycei Francohusani Alumni adhuc, iam uero Academicarum candidati longe dignissimi. Laudati iuuenes pietate atque sanctitate, quod omnium primum est, DEO O. M; morum elegantia humanitateque bonis omnibus, quod proximum; Diligentia denique indefessa coniuncta usque cum obedientia, id quod rarissimum, praeceptoribus ut placerent, sedulo operam nauarunt. Quo factum est, ut DEO propitio Francohusae nostrae semper beneficae beneficiis adiuti sint ut qui maxime, elegantioribusque ita exculsi litteris, ut cum laude commodoque suo ad Academias adire possint. Suorum hinc esse partium duxerunt pro acceptis beneficiis DEO O. M. Serenissimo Patri Patriae, Senatui sanctiori, Patronis atque Praeceptoribus suis grates agere decentes, uotaque pro salute *Totius Domus Schwarzb. Altissimae* in primis pro solemnitate, *CHRISTINAE SOPHIAE* Matris patriae optimae, publice suscipere, Summo rerum Arbitro commendando Patronos omnes. Hoc pro se quisque praestabit, perorato antethemate quodam, quod cuique adrisit suo Marte elaborato: ordine in medium oraturi prodibunt eodem, quo subfella adhuc occuparunt scholastica, nominatim

IOANN. ANDR. KVZLEB, Vdersleb.

Litterarum studium hominibus immortalitatem concedere, demonstrabit oratione Latina, addito carmine Germanico.

IOANN.

IOANN. CHRISTOPH. MOCKEWIZ, Helder.
*de litteris res publicas felices reddentibus sermone Latino
dicet, sed carmine Germanico finiturus.*

IOANN. AVG. ZIMMERMANN, Kelbran.
*de felicitate Terrarum Schwarzburgicarum carmine he-
roico Latino perpetuo canet.*

IOANN. WILHELM. RVEDIGER, Francoh.
de utilitate studii Philologici aget Latine.

Nihil nunc reliquum est, nisi ut *Perillustrem, Ge-
nerosissimos, Praenobilissimos, Magnificum, Consultissimos*
rei nostrae Scholasticae *Statores*, omnesque Patronos
reliquos cuiusque dignitatis aut ordinis demisse rogem
atque officiose, ut cras in aede scholae nostrae frequen-
tes comparere, et declamatoribus nostris perexigui
temporis attentionem exhibere ne grauentur.

P. P. Francohusae III. Calend. Aprilis A. R. S.

c1o 1o CCXXXII.



Pon ³⁴ 3/6. 80. 8

ULB Halle 3
002 710 218




s. 6.

MC







Pag. IV.

511.600.

FRANCORVM DOMVS
VTRVM IAM
ANTE FRANCOB EXSTRVCTA VIDEATVR

QVVM AD
AVSPICATISSIMVM NATALEM
SERENISS. PRINCIPIS AC DOMINAE
DOMINAE
CHRISTINAE SOPHIAE

NVPTAE PRINCIPI SCHWARZB. COMITI
HOHNSTEINI DOMINAE ARNSTADII SONDRERSHV
SAE LEVTENBERGAE LOHRAE CLETTFN.

BERGAE CETT.
NATAE PRINCIPE IN FRISIA ORIENTALI
DOMINAE ESSENI STEDENDORFII ET

WITTMVNDI RELL.
A. D. MARTII clj Is CC XXXXII *2. 11 April.*
IN LYCEO FRANCOHVSANO

CONCELEBRANDVM
PERILLVSTREM GENEROSISSIMOS PRAENOBILISSIMOS
MAGNIFICVM CONSVLTISSIMOS SANCTIORIS SENATVS
EXCELLENTISSIMVM DOMINVM PRAESIDEM ET ADSESSORES
VENERABILES SACERDOTES AMPLISSIMVM SENATVM OPPIDANI
DANVM RELIQVOSQVE SCHOLAE PATRONOS
SVBMISSE INVITAT

ANQVIRIT
M. MARTINVS BORCK R.

FRANCOHVSAE
TYPIS KEILIANIS.

4

32

